



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Gnoti Seautón, Sive Arnoldi Geulincs Ethica

Geulincx, Arnold

Lugd. Batav., MDCLXXV

Ethicæ Tractatus Sextus.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-48728](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-48728)

ETHICÆ

Tractatus Sextus.

PROOEMIUM.

Videmus jam in quo consistat natura virtutis: videamus jam quædam dogmata, quæ Ratio, quam virtute amamus, nobis dicat, quæque ex illa per diligentem auscultationem, tum nos nonnunquam, tum ante nos homines alii arripuerunt: hoc enim prudentiæ munus est. Estque hæc pars, seu hic tractatus propriissimè Ethicæ: nam practicam complectitur, cum præcedentes illæ partes ad Theoriam quoddammodo & Metaphysicam specialiozem nonnihil vergant.

Providentia late dicta comprehendit sub se quatuor partes, nempe providentiam strictè dictam (de quâ egimus Tract. I. circa diligentiam) circumspèctionem, providentiam & discretionem. Igitur hic tantum nobis dicendum est de tribus reliquis,

§. I. Circumspectio.

Prudentia ipsam Rationem intuetur, atque ejus dictamen percipit: circumspectio vero actionem intuetur, eamque secundum omnes suas circumstantias sic ordinat atque disponit, ut per omnia Rationis dictamini consentiat: seu hoc agit circumspectio, ut talis sit actio, qualis contemplanti prudentiæ est Ratio: sicut pictor quidem primo prototypon suum intuetur, V. G. hominem, quem depingendum suscepit; postea vero illo in prototypon prospectu, similem picturam efformat: sic prudentia Rationem intuetur, circumspectio autem actionem ita præconcepit, & cum Ratione quadrat, ut ab obedientia omnino actio prodeat, qualem in Ratione præcipiente prudentia perceperat.

Circumspectio igitur potissimum versatur circa actionum circumstantias, easque accurat & exigit ad dictamen Rationis. Nam quod in aliis licitum & honestum circumstantiis, id in aliis illicitum est & turpe: V. G. licet magistratui, reum capitalis criminis convictum interimere, occidere: privato non licet: licet viro opulento multos in convivium amicos adhibere, pauperi non item: licet hic noctu

h

sine

sine luminibus in publicum prodire, alibi ubi magistratus id ipsum inhibuit, non licet.

Circumstantiæ illæ, quibus dispiciendis circumspectus occupatur, continentur hoc pervagato versiculo:

Quis, quid, ubi, quibus auxiliis, cur, quomodo, quando?

I. QUIS?

Quis denotat personam & conditionem agentis: V. G. an magistratus, an privatus sit; an dives, an pauper; an versatus in negotio, quod exequendum est, an rudis &c. & penes hanc conditionem magnopere variat honestas & turpitudine actionis, nam quod magistratui licet, sæpe privato non licet & contra: quod diviti licet, sæpe pauperi non licet & contra: V. G. dives donare potest, pauper non potest: pauper accipere potest à multis, à quibus accipere sine turpitudine non potest dives: & sic porro. Symbolum in hanc circumstantiam, & velut oraculum quoddam, quod Ratio hic fundit:

IPSE TE NOSCE.

Item

TUO TE PEDE METIRE.

Quod

Quod oraculum longe sapientissimum est: ex quo nos bono cum Deo totam Ethicam deduximus, uti vedere est Tract. 1. circa inspect. sui. Hic vero oraculum illud applicandum est ad familiariores quasdam & frequentiores considerationes. V. G. an bonâ valetudine sis an adversâ, dives an pauper, doctus an indoctus, indigena an alienigena sit, & sine fine talia, penes quæ actio moralis multum variat: & prudentia alia atque alia agenda videt, ac omittenda in suo prototypo, quod semper contemplatur, nempe in Ratione.

II. QUID.

Hæc particula designat actionem exercendam, & etiam ipsum opus, quod actione ponitur: V. G. an ambulaturus sis, an domi studia tua curaturus: an convivio accepturus, & quos accepturus: an daturus librum, pecuniam &c. Symbolus hic

NE QUID NIMIS.

De quo satis dictum est Tract. 4. ubi de Diabolo.

III. UBI.

Hæc particula designat locum & personas actionem circumstantes: an scil. privatim an publicè fiat actio: an apud alios,

an semotis arbitris : an inter doctos & intelligentes, an vero inter idiotas & rudes : & clarissime constat actionem sæpe apud hos licitam & laudabilem, apud illos illicitam esse, & vituperatione dignam : sic V. G. profundas aliquas & subtiles ex Metaphysica vel Ethica desumptas quæstiones apud populum & ignaros disceptare, periculosum sæpe & vitio non caret : apud probos vero & sapientes, licet omnino, & perutile est, ut si dicas peccatum esse, ex misericordia & compassionem commotum aliquid facere, male id sonat apud populum : apud eos autem, qui in Ethicâ verâ bene versati sunt, nullam ea res difficultatem habet : noverunt illi ex Ratione faciendum esse, quicquid rite faciendum est : ex passione vero quicquid fit, male fieri. Symbolus :

DEUS VIDET.

Quo monemur, Deum, ubicunque locorum agamus, semper ante mentis oculum obversantem habere : nunquam ita secedimus ab aliis omnibus, ut Deum fugiamus, nunquam ita tecti & abstrusi sumus, ut non oculis eius nudi apertique simus : nihil enim latet ei, qui ex essentia
& na-

& natura sua omniscius est : ineptum igitur nobis videri debet , si putemus , nos latere cum humanos oculos effugimus , expositi interim oculis divinis : verum hic caute attendendum est , ne juxta hoc symbolum agere volentes ex timore vel simili aliquo affectu agamus , timentes scilicet ne aliquando vindictam de peccatis sumat , ideoque peccatis abstinentes ; sed ut ipsum pro oculis jugiter habentes , meminerimus legis , quam nobis tulit , eique semper obediamus : cavendum etiam ne loco Dei sinamus nobis hominis , aut hominem aliquem obtrudi , quem pro oculis soli semper habeamus , ut volebat Epicurus : *Aliquis vir bonus* , inquit , *nobis eligendus est , ac semper ante oculos habendus , ut sic tanquam illo spectante vivamus , & omnia tanquam illo vidente faciamus.* Seneca in Epist. 11. & 25. *Sic omnia fac tanquam spectet Epicurus.* Ubi se ipsum à suis , cum soli sint , pro oculis semper haberi vult : sed malo illo Dei vicario tota moralis disciplina subvertitur , dum assuescunt homines ad existimationem se componere , nec ad rigidam Rationis normam , sed ad Lesbiam regulam vanitatiffie exigunt : una salus erat in solitudine , quæ imaginaria ista celebritas quam Epicurus infert

& Seneca locis citatis tam vehementer amplectitur, & in quam naturæ vitio plus satis propendemus, interturbat: itaque vir bonus semper habebit Deum ante oculos, nullum hominem, solum autem Deum, idque ut assuescat non Rationi obedire, ut sua est (quod admodum lubricum est & ad philautiam certissime vergit) sed ut Dei est, mente scil. ejus conceptâ, & ad instar legis ab ipso emanantis nobis latâ.

IV. QUIBUS AUXILIIS.

Hæc particula designat Media, quæ ad finem adhibemus: & Media quidem, si per se bona sunt, non ideo tamen absolute bona erunt, nisi intentio nostra & finis simul bonus sit: contra vero si Media mala sint, non ideo fiunt bona, quia finis bonus est: V. G. dare pauperi eleemosynam, bonum est per se, sed dare pauperi eleemosynam, ut subornes eum ad accusandum vel interficiendum innocentem, malum est: contra vero servare vitam suam, bonum est: sed occidere innocentem (jussu V. G. tyranni, qui tibi necem minatur, nisi innocentem occideris) ut vitam tuam serves, malum est: unde axioma Ethicum: *Malum medium inquinat optimum finem, & optimus*

optimus finis non expurgat malum medium
 Prior pars axiomatis in priori, posterior
 in posteriori exemplo declaratur: sic
 etiam efferri possunt: *Non sunt facienda
 mala ut eveniant bona, & non sunt bona, quæ
 fiunt ut inde eveniant mala.* Symbolum hic

A MINIMIS MAXIMA.

Quo monemur, abjecta etiam Media
 & nullius fere momenti non repudiare,
 cum ab illis pendeant fines præstantissimi:
 V. G. horulam quotidie impendere rebus
 Ethicis, & potissimum sui ipsius inspectio-
 ni, leve & parvi momenti videatur; eo ta-
 men pulcherrimum finem consequimur,
 nempe Virtutem & sapientiam: similiter
 studio bonæ Logices, etiamsi ut appareret
 rei minutæ & abjectæ, si singulis diebus
 aliquantulum vaces, facile pervenies ad
 summam ingenii dexteritatem, habilita-
 temque ad alias quaslibet humanas scien-
 tias acquirendas.

Valet etiam oraculum in malis: nam à
 levissimis peccatis, dum hæc contemnuntur,
 facile venit ad summa scelera: ut
 notum est de fure illo Æsopico, qui ultimo
 supplicio daturus pænas, matri osculum
 per simulationem, & velut extremum

vale offerens, nasum ei demordit; addito elogio: Si, cum primo libellum à consodali meo puer abstuli, me ut meritis e-ram castigasses, non huc devenissem. Ideoque nunquam temere committenda sunt, in quibus vel tantillum apparet malitiæ:

Sic etiam ex erroribus logicis, qui admodum leves videntur, & quos vix operæ pretium videatur observare præcipitant homines in gravissimos errores Physicos & Metaphysicos, hæreses & impietates: ut patet vel ex solâ mala definitione corporis, ex qua confusio rerum spiritualium ac materialium, quæ confusio certissimum omnis impietatis fundamentum est: vide Metaphys. nostr. part. 2.

V. CUR.

Cur denotat finem, quem nobis præstitutum habere debemus, is autem finis est Deo & Rationi obedire, ut satis patet ex ante sæpe & sæpius dictis. Symbolum est.

AGE QUOD AGIS.

Tunc dicimur *hoc agere*, item *agere quod agimus*, quando tantum præcise facimus, quantum finis postulat, cum vero aliquid agimus, quod parergon est, quodque ad finem

finem illum non facit, quem nos præstitutum habemus, tunc dicimur alias res agere: V. G. viator, quamdiu properat & ad locum illum continuo pergit, ad quem iter agit, tamdiu *hoc agit*, tamdiu *agit, quod agit*: cum vero amœnitate pratorum viæ adjacentium, diverticulorum deliciis, obviorum fabulis detentus, hæret in via & institutum iter suspendit, tum vero *aliud agit*.

Monet igitur oraculum ut media nostra metiamur (proportionemus) ex fine nostro: & tantum præcise circa illa occupemur, quantum ea faciunt ad finem consequendum, non citra non ultra: V. G. Deus jussit vivere; ei vis obedire? tantum ergo velis vivere, quantum ille jussit, non minus: & proinde si adversa (sensibus & passionibus puta) ingruant, injussu ejus non exi; si mors occupet, non opta longiorem vitam: quia autem vivere vis, ideo & edere & bibere vis? tantum igitur ede, tantum bibe quantum ad vitam satis est: quia autem edere & bibere vis, conditionem aliquam vitæ sectaris, ut suppetat unde edas & bibas? tantam igitur sectare, quanta ad id satis est non ad majorem ambitio, non ad minorem te compellat ignavia: recreare vis animum ut

h s

Officio

Officio suo par sit? tantum igitur recrea, quantum requiritur ut par sit; non dissolvat te luxuria, non strangulet te scrupulosa quædam & perversa sobrietas.

Itaque oraculum justitiam quandam nobis commendat, quæ consistit in proportionem mediorum ad finem, ut nunquam plus minusve sit in mediis, quam requirat finis; media enim sæpe in se habent aliquid, quo nos abducunt à contemplatione finis, & in sui contemplatione detineant; eatenus vero exuunt Rationem mediorum & induunt Rationem finis, simulque peccatum nobis injiciunt qui ordinem pervertimus, & quæ media esse debuerant, finem facimus: veluti cum imminente morte, optamus longiorem vitam, jam lex Dei non est nobis finis obedientiæ, sed nos ipsi sumus nobis finis concupiscentiæ: nempe nos finis cui, & vita nostra finis cujus: similiter cum pastui indulgemus plus quam ad vitam requiritur, jam finis noster subordinatus non est vita (ut esse debuerat) sed finis noster ultimus est jucunditas, quæ ex pastu percipitur. Et si conditionem vitæ lautiores velimus, quam ad vitam tolerandam sufficiat, jam pastus non est finis noster subordinatus (ut esse debebat) sed delectatio quædam

quædam ad mundum pertinens, quæ ex statu & pompis percipitur, & finis noster ultimus: & si recreari & refici amplius velimus, quam ad partes nostras bene explendas requiratur, jam recta functio muneris nostri non est finis noster subordinatus: sed ipsa illa delectatio finis cuius ultimus.

VI. QUOMODO.

Quomodo significat modum actionis: V. G. an languide an ferventer, an joco an serio, severe an comiter, simulatè an syncerè fiat actio. Symbolum.

SERIO ET SYNCERE.

Serio dicimur agere, quod non per lulum, non per jocum, non etiam languide, sed studiosè, cordatè deliberate agimus: debet autem viri boni omnis actio seria esse; non quod jocari, videre, ludere &c. fit interdictum; sed quod hæc dum in virum bonum cadunt, naturam suam quodammodo exuant, mutant, & ludicra esse desinant, fiant summe Seria. Nam jocari, videre, ludere tali mente, quali hoc à viro bono præstatur, & prout Tract. 1. circa 6. obl. describitur, non est jam jocati, ludere, videre, sed legem Dei exsequi

h 6

tam

tam serio, tam cordate, quam cum maxime.

Syncera etiam debet esse actio boni viri, id est, non aliter exterius exhibita, quam intus ab ipso concepta: nulla enim Ratio est, cur aliquid simulet, quandoquidem id quod agit sit optimum, nec hominibus placere studeat, sed tantum Deo & Rationi obedire. Nihilominus hic subinde opus est discretione, & etiam si nihil simulet vir bonus, quædam tamen celat & silentio premit: etiam si nunquam aliorum nequitie consentiat, sæpe tamen eam non reprehendit, & nec dicto nec facto contravenit; quo casu quidem imprudentioribus fide ac dissimulanter facere vir bonus videtur; sed errant hi: & longe aliud est, celare veritatem, aliud mentiri; item aliud cooperari nequitie alicujus, aliud non contravenire, ut paulo infra, ubi de discretione.

VII. QUANDO.

Hæc particula significat tempus, quo actio exercenda est. Symbolum.

DELIBERANDUM EST DIU EXE-
QUENDUM CITO.

Quo monetur non agere, nisi post ma-
turam

turam deliberationem, qua actionem e-
jusque circumstantias circumspectè per-
penderimus: in ipsâ vero actione, quam
post maturam deliberationem exercemus,
non hæreamus, non interpellemus illam
parergis, sed uno & continuo ductu perdu-
camus cito & sedulo ad finem: cujus Ra-
tio satis patet ex principiis nostris Ethicis.

§. 2. Providentia.

Ex circumspectione naturaliter conse-
quitur Providentia: cum enim dili-
genter consideramus circumstantias actio-
nis exercendæ (quod circumspectionis Of-
ficium est) facile enim videmus, quod ex
actione nostra, tum circa nos ipsos, tum
circa alios homines emanare possit: (quod
Providentiæ munus est.)

Inter Providentiæ partes facile prima
est cavere Scandalon. *Scandalon* vero non
est aliud, quam occasio peccandi sumpta
ex alterius alicujus actione: ut si alicui
convitium facias, ille vero inde irritatus
& excandescens aliis te adoriatur, ad ma-
nus & ferrum veniat: hic illa tua actio,
qua convitium fecisti, Scandalon est.

Scandalon dividitur in datum & acce-
ptum. (Theologi illud infirmorum, hoc
vero

vero Scandalon Pharizæorum vocant) Scandalon datum, est Scandalon proveniens ex culpa ejus, qui illud ponit: ut invitatio, adhortatio & compulsio ad potandum & evacuandum scyphum unde alterius ebrietas sequatur. Scandalon acceptum est Scandalum sine culpa ejus, qui illud ponit, & tantum cum culpa ejus, qui accipit illud: tale erit si vir probus honeste se in omnibus gerens, adeoque quam plurimis hominibus, quibuscum agit dissimilis, incidat in odium & sævitiam ipsorum: honestas enim ejus viri & innocentia est illis Scandalon seu occasio peccandi, sed occasionem, quam illi accipiunt, vir bonus illis non dedit; debet ergo vir bonus sibi cavere à Scandalis prioris generis: cupit enim quam maxime Deo & Rationi obtemperari, non à se modo, verum etiam à quibusvis aliis: unde cautissime semper providet, ne quam alii homines ex ejus actionibus honestis licet & bonis, arripiant occasionem peccandi; unde sæpe quædam omittit, quæ alioqui facere ei integrum foret, quando videt positurum inde Scandalum. A Scandalis vero posterioris generis, quæ meræ ex accipientium nequitia proveniunt, cavere sibi vir bonus non debet, sed merito negligit illa: nempe

nempe totam sibi alioqui Rationem & legem Dei deferendam esse novit, si ea cavere velit.

S. 3. Discretio.

Discretio est pars prudentiæ subtilissima, quæ versatur circa distinguenda ea, quæ prima fronte & vulgari iudicio aut eadem, aut admodum affinia sunt: inter quæ tamen discrimen Ethicum permagnum est, eo quod alterum eorum bonum, alterum malum sit.

Et in hoc genere occurrunt primo commissio & permissio: quæ sæpe populo videntur esse ejusdem Rationis ac naturæ: cum tamen multum inter se differant: sæpe enim permittere licet, quod nulli committere licet: V. G. si tyrannus petat sibi tradi innocentem à republica; ni tradatur, excidium minatus: non licet reip. obedire & innocentem tradere (hoc enim esset committere & Tyranni sævitix cooperari) licet tamen permittere ut Tyrannus innocentem illum per suos satellites capiat (hoc enim tantum est permittere ut innocens capiatur, quod cum tanto incommodo & innocentium clade Resp. non tenetur interire.

Ut

Ut autem hæc & similia discretionis exempla melius intelligas, nota idem medium aliquando servire ad duos fines; quorum alter bonus est, & quam intendere per se licet; alter autem malus, & quem nullo casu licet affectare: V. G. exsilire è turri, quæ incenditur, servit ad fugam ex incendio (& hæc fuga bona est, atque hanc etiam affectare & velle licet) & servit etiam ad propriam necem (& hæc mala, nec licet eam affectare.)

Nota secundo medium, quod sic servit ad duos fines, subinde servire ad bonum finem inde penderet à malo fine, seu naturâ prius utile esse ad bonum finem, antequam utile sit ad malum finem: V. G. exsilire & turri in casu posito, prius servit ad fugam ex incendio, quam ad sui ipsius necem: imo ad istam fugam facit, & utile est exilire, independenter omnino à propriâ nece.

Nota tertio tale medium aliquando vice versa, prius facere ad malum finem, quam ad bonum, aut non facere ad bonum finem nisi dependenter à malo; V. G. cultro percutus sibi perfodere, facit ad fugam ex incendio & etiam ad necem propriam: sed prius ad hanc, quam ad illam: imo ad fugam istam nihil facit istud medium nisi dependenter à propriâ nece.

Me-

Medium postremi generis non licet assumere, hoc enim assumere est committere, & positivè operari malum: V. G. cultro pectus sibi perfodere in casu posito, non est tantum permittere se interimi, sed est positive se interimere; quod nullo casu licet; nihil enim est tam tetrum & calamitosum in hoc mundo, ut lex Dei antiquior nobis esse non debeat *Mane quoad te evocem.*

Medium vero secundi generis assumere licet, justâ & proportionatâ subexistente causâ: hoc enim non est committere, sed permittere, licet autem permittere malum cum justa causa subest non impediendi; sic V. G. qui è turri exsilit cum incenditur, & incendium jam ad ipsum per inere incipit, non se interimit, sed fugit ex incendio: permittit autem se interimi, cum inferne ad aream gravitate suâ alliditur.

Hinc facile solvitur etiam, an qui ob falsum crimen quæstioni subjectus est, possit crimen illud sibi imponere, & confiteri se reum esse quo à tormento quæstionis liber sit. Certum est non licere: nam medium illud (confessio criminis) servit ad bonum finem (liberationem à tortura) tantum dependenter à malo fine (extremo supplicio) quod iudex sumet à reo confitente, licet innocente. Item

Item an liceat militibus navalibus ignem conijcere in pulverem pyrium, ne navis veniat in potestate hostium: & plerumque non licet: quamvis enim prius hoc medium serviat ad bonum finem, quam ad malum, prius ad exemptionem navis è potestate hostium, quam ad necem oppugnatorum: vix unquam tamen contingit hic adesse causam satis gravem & proportionatam: non enim est tanti plerumque navem unam & aliquot homines venire in potestate hostium. Quo etiam facit, quod etiamsi hostes forte sævi sint, homines tamen sint, & non tam brutaliter, ac necessario acti, sicut lapides, plateæ seu areæ, hominem è turri exsiliemtem allidentes: unde ab illis merito sperari potest aliqua salus.

Secundo; Discretio etiam versatur circa illas materias, quæ modo sub legem cadunt & à Ratione vetantur; modo autem in medio relinquuntur: V. G. furari illicitum est; auferre tamen in extremâ necessitate, quantum illi necessitati sublevandæ satis est, non est illicitum: ut qui in extremâ fame panem aufert à piflore, quo satisfaciat isti necessitati, non peccat: nec furatur proprie: nam furari est rem alienam auferre; hic vero non aufert rem alienam,

lienam, sed communem : nam bonorum divisio inter homines non tam rigide introducta est, & introduci ab hominibus tam rigide non potuit : ut non iterum in casu extremæ necessitatis bona omnia communia censeantur ; idque præcisè pro ea parte, quæ requiritur ad necessitati illi subveniendum : ubi tamen par est necessitas utriusque partis, non licebit auferre discretio enim dicitur, hic potioem esse conditionem possidentis : sic in communi naufragio non licet eum, qui tabulam aliquam arripuerit, de tabula detrudere, ut te ipsum salves, qui tabulam non habes.

§. 4. Ignorantia.

Prudentia potest bene consistere cum ignorantia aliqua ; quamvis enim vir bonus sit sapiens, ut pridem demonstrabamus ; multa tamen ignorat : velut modum, quo Deus mundum, & ipsum in mundo posuit, rursusque cum ei placet è mundo eripit : & multa passim occurrunt talia, quæ limites humanæ intelligentiæ transcendunt : quos limites vir bonus egregie perspectos habet, nec eos unquam ingenii aviditate, aut sciendi cupidine transilire constituit : hoc enim attentare

tentare stultum esset, & Rationi, quam u-
nice amat, vel maxime inimicum. Conti-
net igitur vir bonus se intra cancellos illos,
quibus Deus eum circumscripsit; atque
hoc jugiter oraculum in animo suo affi-
xum & insitum habet.

*Magna pars est sapientiæ quædam æquo
animo velle ignorare.*

Insuper cum homo sit vir bonus, necesse
est, multa eum fugere in particularibus
suis circumstantiis & negotiis:

*Homo ergo est, & nihil humani à se alie-
num putat:*

Illam modo ignorantiam excludit pruden-
tia, quæ non compatitur secum rectæ Ra-
tionis amorem unicum, quæque per dili-
gentiam ex amore illo natam vinci ac su-
perari poterat.

Unde Ignorantia dividitur in vincibi-
lem & invincibilem. Ignorantia vincibi-
lis est, quam pellere potuissemus, si de-
bitam diligentiam adhibuissemus. Debi-
ta autem diligentia est, quæ nascitur ex
Virtute, seu amore Rationis, non vero
aliunde. Hanc Ignorantiam non admit-
tit prudentia. V. G. mercator oblato con-
tractu in solito, non examinat illum: vi-
det lucrum ex illo emanaturum, atque sic
celebrat istum contractum, ultra de eo
non

non laborat: quia vero non examinat illum, nescit injustum esse: hæc mercatoris hujus Ignorantia vincibilis est, & cum Virtute non consistit: si enim unice amasset Rationem, oblato casu, quo illa in materia justitiæ seu commercii lædi poterat, diligenter circumspicere debuerat, ne læderetur: sicut filius familias argueretur patrem suum non amare si inter tenebras gladium distringeret in importunos quosdam & contumeliosos: ubi suspicio esset patrem suum medium inter illos forte versari.

Ignorantia invincibilis est, quæ adhibitâ debitâ diligentiam non pellitur: non quasi vir probus semper adhibeat diligentiam ad Ignorantiam repellendam, quæ circa actionem suam, vel certam actionis suæ circumstantiam versatur: potest enim fieri, quod ignoret se ignorare aliquid circa illam actionem: V. G. si amicus, puta Sejus, scripserit amico puta Cajo, ut ferat opem, Epistola autem per incuriam tabellarii non deferatur; laborabit Cajus Ignorantia invincibili, & tamen nullam diligentiam adhibuit ad eam Ignorantiam repellendam. Fieri tamen etiam potest, ut vir probus diligentiam adhibeat ad superandam Ignorantiam, quæ tamen adhibitâ dili-

diligentiâ ei invincibilis manet : ut si Cajus amicum suum Sejum indigere suspicetur, ideoque scribat Sejo, & opem ei suam offert ; Sejus vero præ verecundiâ recuset opem, Cajo non advertente, adque ideo existimante, bene agi cum Sejo : hic Cajus laborabit Ignorantiâ invincibili etiam postquam adhibuit conatum ad illam amovendam. Videtur ergo in eo situm esse discrimen inter vincibilem & invincibilem Ignorantiam, quod occurrente suspicionem, num forte honesta sit actio & Rationi consentanea, quam exercere decrevimus, examinemus, aut examen illius circumstantiæ ; circa quam suspicio versatur, negligamus : si enim occurrente illa suspicionem, antequam illam debite discutiamus, properemus ad opus, Ignorantia, quæ in nobis circa honestatem illius actionis manebit, erit vincibilis, & à peccato non excusabit. V. G. si medicus potionem præscripserit, atque interim incidit ei suspicio ex quibusdam indiciis de inscitiâ pharmacopœi, vel ejus, qui potionem illam paraturus est : pergit nihilominus, & rem illam relinquit in medio : hæc medici Ignorantia circa inhabilitatem pharmacopœi, vincibilis censebitur : nec immunis ab homicidii labe erit ille medicus, si

si pharmacon male paratum ægro mortem intulerit: imo etiamsi non intulerit mortem, etiamsi etiam bene paratum sit, etiamsi etiam pharmacopœus ille intelligens sit & doctus in suo munere; medicus tamen, qui sic processit, homicidii reus est, quia quantum ad ipsum attinet, solum casu factum est, ut non occisus sit æger: si vero nulla occurrat suspicio circa honestatem actionis exercendæ, Ignorantia erit invincibilis, & excusabit à peccato: V. G. si idem medicus nulla suspicione urgeatur, nec sit cur de peritia pharmacopœi dubitet; hic interim imperitus sit, & male positionem illam ægro misceat, indeque mors ægri consequatur, medicus immunis est ab homicidii culpa.

Ignorantia aliter dividitur in Ignorantiam juris & facti: Ignorantia juris est, quâ legem aliquam ignoramus: atque hæc Ignorantia vel est juris naturalis, vel juris positivi Ignorantia: jus positivum est, quod ex sola Ratione non sequitur, sed ex Ratione in his vel illis circumstantiis posita: V. G. in testamento adhibendos esse septem testes & alios solemnitates: jus naturale est, quod ex sola Ratione sequitur: adeoque non differt ab ipsa Ratione, sicut conclusiones re ipsâ non diffe-

differunt à principiis , à quibus conclusiones illæ deducuntur : sic jus naturale est , injussu Dei non esse hinc abeundum &c. quæ ad Obligationes pertinent alibi à nobis recensitas.

Ignorantia facti est, qua legem quidem non ignoramus , ignoramus tamen factum nostrum ista lege vetari : ut si heres injusti hominis utatur bonis alienis , quæ per hereditatem ad ipsum devoluta sunt , is, quidem non ignorat non furandum esse , sed facile fieri potest, ut nesciat hanc suam actionem , qua hereditatem adiit , ad furtum pertinere , ideoque laborat Ignorantia facti, non juris.

Et quidem Ignorantia facti sæpe est invincibilis, excusatque à peccato , ut ferme videre potes in exemplo jam proxime à me allegato. Major est difficultas an Ignorantia juris naturalis etiam invincibilis esse posset , & à peccato excusare ; multi ajunt, & exempla adducunt varia : quorum hoc unum est. Famulus quidam nosocomii , ægros jam animam agentes , aliquoties versabat in utrumque latus : dictitans se id facere , quo citius liberarentur ab anxietatibus & agone mortis : hoc vero quid erat aliud , quam ægros occidere ? hic tamen homo videtur laborasse Ignorantia
invin-

invincibili, & à peccato excusandus.

Sed verius videtur, nullam juris naturalis Ignorantiam invincibilem esse, nullam à peccato excusare. Quantum ad exemplum illud: videtur in illo quædam Ignorantia facti versari, non nesciebat ille famulus jus, quod vetat occidere; sed hoc suum factum putabat isto jure non vetari; putabat enim hoc suum factum non esse occisionem, sed certæ ac indubitatæ mortis accelerationem, adeoque diminutionem afflictionum, & agonis in morte subeundæ, sicuti non videtur culpandus ille reus, qui ad capitale supplicium ducendus, tantisper jejunit: ut mors, quæ V. G. laqueo inferenda est, magis cita sit, & facilis in corpore non bene pasto.

F I N I S.

AUCTO.

